

tem, et tentaverunt Deum, et salvi facti sunt, h. e. aucti sunt prolibus, opibus, honoribus, ideoque scelera sceleribus addiderunt ad hoc ut experirentur an esset numen scelerum vindex; sicque tentaverunt Deum provocando quasi ad bilem, ut viderent an se vindicaturus esset: quæ sane extrema est perversitas. Eodem spectant Hebræi in deserto peregrinantes, de quibus dicitur Num. XIV. *Tentaverunt me jam per decem vices*, h. e. sæpenumero: et Psal. LXXVII. *¶ LVI. Tentaverunt et exacerbaverunt Deum excelsum et testimonia ejus non custodierunt*. Ludunt hi impudentissime cum Deo, velut qui canem tamdiu vexant, donec ad latratum ac denique ad morsum concitent, hoc enim est *exacerbare aliquem*; quasi contendere velint cum Deo, an ipse plus ignoscere, quam ipsi peccare: ipse diutius expectare resipiscentes, quam ipsi immorari in nequitia sua velint. Sic tentarunt aliquando Datis et Artaphernes, Darii Persarum regis duces, Græcos, ad quos misere legatos, urbium facturi periculum, et terram atque aquam ab iis postulantibus. Et insulares quidem assenserunt; sed Athenienses legatos proseripserunt. Verum quid Lacedæmonii? Et terram et aquam se daturos polliciti, conjecerunt legatos in puteum; sic aquam eis dederunt: injectos porro terra obruerunt; sic terram quoque præbuerunt: ita se, quod postulatum fuisset, præstitisse testati, Suidas in verbo Datis. Hunc in modum peccatores inveniuntur ludunt cum Deo, petunt terram et aquam deliciarum et voluptatum, ut iis se proluere et pro libitu innatare queant; terram, ut in dissoluta sua vita terram semper incolere nullo mortis metu queant. At non patietur Deus ita se deludi, sed dabit eis terram in sepulchrum, juxta id Psal. XLVIII. *Sepulera eorum domus illorum in æternum: et aquam gehennæ intolerabilem*, Psal. CXXIII. Ita minatur hujusmodi ludionibus Deus, Is. XXVIII. Cum enim ipsi dixissent Deo: *Manda remanda, expecta reexpecta: modicum ibi, modicum ibi*, ipse minatur eis Chaldæos, a quibus puniantur: *Ut vadant et cadant retrorsum, et conterantur, illaqueantur et capiantur*.

V. Dei potentiam et virtutem, qui per miraculum aliquid petunt, quod via naturali obtinere possunt: uti et qui se absque necessitate manifestis ac gravibus periculis committunt, præfidentes de divino auxilio. Eo impellere Christum conabatur Satan, quando dixit: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum*. Cui Dominus: *Non tentabis Dominum Deum tuum*, Matth. IV. Simile in periculum conjicere parabant judaizantes Christiani eos, qui ex gentilismo conversi erant, ut nimirum una cum suavi Christi jugo portarent etiam

grave jugum legis Mosaicæ; quibus proinde Petrus dixit: *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?* Act. XV.

Hac ratione tentant Deum et miraculum petunt, qui finem consequi volunt non adhibitis mediis: pasci quasi angelorum manibus, cum laborare nolint: similes stultæ illi femine Anabaptisticæ, quæ cum pauperula esset, sciola tamen bibliorum afflata fanatico spiritu, vicinos plurimos ad convivium invitavit, cui nihil ipsa ciborum paraverat. Præsentibus jam hospitibus et famem saturare cupientibus, frustra cælum invocavit, ut cibos sibi deplueret, sicque cum derisu hospites jejunos domum remisit, apud Florim. de hæres. orig. I. II. c. IV. Eam imitantur, qui cælum sibi promittunt et convivium Christi, cum nihil ad id honorum operum parent.

Secundo, tentant, qui præsentibus et periculosas peccandi occasiones adeunt ac frequentant, interim se a lapsu immunes fore per Dei auxilium sperant; quod aliud non videtur, quam miraculum expectare, teste Salomone, Prov. VI. qui dixit: *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? Aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cum tetigerit eam*. At nonne Deum tentaret qui ignem sinu gestare illæsa veste præsumeret, aut pedibus calcare plantis non adustis? Neque solum, qui ad mulierem non suam ingreditur, sed etiam: *Fovet ignem in sinu suo*, ait Basilus (in catena Græcorum, sive magnus, sive alius quidam) *illigatque in eo, qui immundum sermonem avide haurit, aut fœdam cogitationem in corde suo immorari sinit*. Par ratio de aliis propinquis peccandi occasionibus. Certe S. Bernardus, serm. LXV. in Cant. pro miraculo habet: *Cum femina semper esse, et non cognoscere feminam, est plus esse quam mortuum suscitare*. Inde monachus ille matrem etiam vetulam per aquas transportaturus, pallio involvit manus, ne eas quoquo modo adureret, in vitis pp. Rosweid. I. V. libell. IV.

Tertio, tentant qui post vitam male et dissolute peractam expectant beatam mortem. Miraculum temere peteret, qui in asino caudam pavonis requireret: idem faceret, qui post vitam malam speraret bonam mortem. Arbores dum cæduntur, in eam cadunt partem in quam prius propendebant; et miraculum crederetur, si in contrariam partem caderent, quale obtinuit precibus S. Mart. ad gentiliū conversionem. Pari modo prope miraculum foret, si quis tota

pene vita ad lævam venturi judicis Christi propendens, caderet ad dexteram ejus; vivensque cum hœdis, moreretur cum ovibus. Uni tantum latroni, non utrique, dixit Christus: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso*. Tibi, inquit, non vobis, nec aliis, nisi rarissime. Qualem prius in aula cæsariem gestavit Absalon, talem etiam habuit in prælio et periodo vitæ suæ, liberam scilicet et volitantem; cum debuisset eam potius galea tunc operire. Sed nimirum galeæ non erat ssuetus, ideo et capillo suspensus hæsit.

Satis, opinor, vidimus, quinam illi sint qui tentant Deum. Superest ut tam grave peccatum toto pectore fugiamus; ne, quod absit, Satanae potius quam Dei imitatores et filii efficiamur.

## CONCIO VI.

ADDUCUNTUR ALIQUI AD SPECULUM AD SEIPSOS INTUENDOS.

I. Vir puerilis. — II. Mulier ebriosa. — III. Senex impudicus. — IV. Puer loquaculus. — V. Nobilis ignavus. — VI. Christianus frigidus. — VII. Homo crudelis.

## THEMA.

*Cujus est hæc imago?* Matth. XXII.

« Socratis præceptum erat, ait Plut. I. de conjug. præceptis, adolescentes, si in speculum intueantur, turpis formæ vitium debere morum virtute corrigere: formosos adhibere diligentiam, ne pulchritudinem pravitate morum contaminent. Sic matronæ etiam in manibus speculum ubi erit, sic secum loquatur, si deformis est: Quid essem, si deforet pudicitia? Sin eleganti forma, quanti fiam, si accedat pudicitia? » Ad speculum nos remittere videtur in hod. evangelio Dominus, cum ait: *Cujus est hæc imago?* Non litterali quidem, mystico tamen sensu, ut in sua imagine seipsum quisque aspiciat, et an ei, quam præ se fert, ætati, conditioni, statui conformem se exhibeat; at si quidem id præstet, seipsum magis perficiat: sin minus, emendet. Hoc igitur nunc egemus, et aliquos in genere ad speculum addicimus, ut seipsos contemplantur.

I. Vir puerilis, inspicere in speculo et dicere: *Cujus est hæc imago?* Nonne pueri magis quam viri? Videas quandoque viros non virilia tractantes, sed puerilia plane et ludicra, virum minime decentia, qualis erat prodigiosum illud monstrum orbis, Caius Caligula imp. qui subinde femineo se vestiebat et prodibat habitu, subinde deorum cultu, cum omnium derisione. Idem aliquando

nocte intempesta principes senatus in palatium convocavit, quasi de gravissimis rebus cum illis consultaturus; iis tamen, ubi se steterunt, nihil seri proposuit, sed saltationem instituit, Sueton. O virum! O Cæsarem! Imo o puerum! O stultum! Certe si quid est quod dedecet viros, saltus et chorea est. Sed neque alia nugamenta viris conveniunt, quod vel pueri notant. Sanctus Malachias adhuc puer excitus aliquando opinione cujusdam magistri, famosi in liberalibus artibus, adiit illum causa discendi. « Intrans vero domum vidit virum ludentem subula, crebrisque sulcantem tractibus nescio quo notabili modo parietem. Eo solo visu offensus puer serius, quod levitatem redoleret, resiliit ab eo, ac deinceps illum nec videre curavit, » scribit in ejus vita Sanctus Bernardus. Ita nimirum pueri facile observant quæ a viris fieri vident, indeque sæpenumero pervertuntur aut offenduntur. Intueantur ergo se in speculo viri, ut nihil indecorum virili barba faciant, quod et ipsis dedecus et aliis offendiculum sit.

II. Mulier ebriosa, cujus est hæc imago? Monstri alicujus horridi potius quam mulieris. Audiamus de hoc D. Chrysostomum, hom. XLV. ad pop. « Nihil muliere deliciis debita turpius, ebria fœdius nihil: ipsius aspectu flos deletur, oculorum tranquillitas et mansuetudo turbatur, quasi nebula quadam radios subeunte solares. Opus illiberale ac servile omnique plenum ignavia. Quam est injucunda, fœtens, vinum olens putrefactum, mulier carniū corruptarum succum eructans, gravata nec surgere volens, plus æquo rubens, oscitatione plena multaque caligine! » Et homil. LXXI. « Quid ebria turpius muliere, quæ temere circumferatur? » D. Hieronymus in reg. monial. c. XXXI. ebrietatem in femina *sacrilegium* appellat, forsitan ob legem Romuli, quæ sic habet: *Si vinum biberit (uxor domi, ut adulteram puniunt), quia scilicet ex vinositate facilis est in adulterium prolapsus*. Quare Plinius, lib. XIV. cap. XIII. tales mulieres eo ipso necari posse scribit. Causa est, quoniam ebrietas mentem excutit et pudorem, qui est frænum mulierum. Equo vero petulanti si frænum detraxeris, quid ab eo non metuendum erit? Quis facile eum retrahit? Hinc Anna illa conjux Elcanæ, cum ab Heli de ebrietate, licet immerito, redarguta fuisset, respondit: *Ne reputes ancillam tuam, quasi unam de filiabus Belial*, I. Reg. I. indicans mulieres ebrias aliud non esse quam filias Belial, h. e. absque jugo, seu absque fræno, quæ, nulla honestatis habita ratione, ad omnem lasciviam et impudicitiam facile rapiantur.

III. Senex impudice, inspicere te in speculo, et vide *cujus est hæc imago*? Quanta enim deformitas sit senex amorum sectator, vel ethnici videre: inter quos Ovidius canit: *Turpe senex miles, turpe senilis amor*: et Seneca, l. II. controv. cant. VII. *Senex amens, inquit, senex ebrius, circumdatus sertis, delibutus unguentis, et in præteritos annos retro se agens, et validus in voluptatibus, quasi juvenis exultans, nonne portentum est? Luxuriosus adolescens peccat; senex autem luxuriosus insanit*. Certe Sara indecorum reputavit conjuges in senio jam constitutas maritali officio defungi: *Postquam consenui, inquit, et dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo*? Gen. XVIII. Quam igitur fœdum et absurdum erit senem alienis etiam implicari amoribus et in carne pene emortua quærere carnis voluptates? Unde S. Chrysostomus, hom. VII. in epist. ad Hebr. « Quomodo, inquit, non est absurdum et supra veniam quod sit, ut senex in taberna sedeat, senex ad circum festinet, senex ad theatrum ascendat, instar pueri currens cum plebe? Vere confusio est et irrisio, ut canitie quidem ornatur extrinsecus, intrinsecus autem animum habeat puerilem: et si quidem vituperavit illum juvenis, statim canos in medium profert: Tu illos reverere primus: si vero tu eis non exhibes reverentiam jam senex, quomodo juvenem tuos canos revereri desideras, etc? » Ita Chrysostomus. Profecto ingens fuit confusio duorum illorum senum, de quibus Daniel XIII. legimus: Non solum quia Susannæ pudicitiam insidiati sunt, sed etiam quia a Daniele juvene in nequitia deprehensi et supplicio adjudicati, denique arborum indicio proditi sunt.

IV. Puer loquacule dicito: *Cujus est hæc imago*? Deprehendit aliquando Zeno Cittiensis philosophus ex Citto Cypriæ civitate oriundus, puerum supra ætatem curiosius quædam sciscitantem, cui quidem nihil respondit, sed duxit eum ad speculum, jubens ut in eo se contempleretur, et videret an ipsius vultui convenirent tales quæstiones. Videant ergo pueri et adolescentuli ne præpropere loquacitate suam prodant inanitatem et stultitiam, nec doceant seniores, quæ discere ab eis debent. Silentium et verecundia angelicum eorum vultum ornat, garrulitas dehonestat; quia non melius loqui norunt, quam infantuli ambulare, cum eorum lingua careat prudentia et rerum experientia. Angeli non voce sed nutibus loquuntur: idem si fecerint pueri, decus sibi angelicum comparabunt, dedecus vicissim incauta loquacitate. In maris Caspii insulis avis reperitur anseris magnitudine, pennarum varietate facile pulcherrima, dorso

vehementer rubro, ventre viridi, collo albo et disseminatis maculis croceis distincto, duos cubitos alto, capite gracili et rostro nigro, voce sola turpis, quam ranis similem emittit, Ælian. l. XVIII. c. XXXIX. Exprimit hæc avis adolescentulos, forma quidem decoros, sed voce et garrulitate absonos, oreque nigro et inculto deformes. Vulgo etiam pavones dicuntur habere vestem angeli et vocem diaboli. Idem dici de illis potest adolescentulis, qui forma quidem et vultu angelos, sermone vero obsceno et impudenti cacodæmones referunt.

V. Nobilis ignavia et vitii deserviens, contemplantur te in speculo, et dic: *Cujus est hæc imago*? Nonne agnosces id, quod Joannes scribit episcopo Sardicensi: *Nomen habes quod vivas, et mortuus es*? Apoc. III. Unde enim nobiles dicti, nisi quia ex virtute et heroicis actis facti sunt *noscibiles*? Jam vero si nihil virtutis præ se ferant, adeoque vitæ ignavia vel etiam vitii obscurent nomen suum, quomodo vel quales erunt nobiles? Nonne suoapte vocabulo facem quasi splendentem sibi præferunt, quæ ipsorum prodant ignobilitatem? In plebeiis quidem hominibus plurima notantur vitia, sed ea non ita emicant, quomodo et in minoribus stellis nullæ apparent maculæ, nec fit eclipsis, quia nobis apparent parvæ: at vero in personis nobilitate et dignitate conspicuis, parvi etiam nævi ab omnibus observantur, sugillantur et carpuntur, qua ratione in magnis illis luminaribus, sole et luna, nemo non advertit luminis defectum quando eclipsantur, quin et maculas aliquas in illis apparentes: quibus addit Plinius, lib. VIII. c. LI. etiam a brutis quibusdam animantibus sentiri eclipses. *Splendidi* apud veteres vocabantur nobiles; unde splendor natalium et generis nomen sortitus, teste Livio, dec. I. lib. IV. Tacito, in vita Agricolæ; Valerio Maximo, lib. VIII. c. I. Splendere igitur debent radiis virtutum, nisi velut obscuratus sol prodigium esse velint. Solent vere nobiles præferre in suis insignibus, belluas virtute et robore præstantes, uti leones, gryphes, tigrides, pantheras, aquilas, cygnos, etc. quasi eorum majores non minori virtute et fortitudine claruissent, adeoque et ipsi clarerent. Verum dicant, quæso, *cujus erit imago, si talia jactent, et in suis insignibus robora ostendant, interim in animis suis gerant lepores, simias, vulpes, etc?*

VI. Christiane frigide: *Cujus est hæc imago*? Nam et tu nomen habes quod vivas, et interim mortuus es. Nomen geris Christi et hominis cælestis, civis non hujus mundi, sed alterius sæculi, et interim a cælo aversus, terram dumtaxat

at spectas et terrena bona. Quale monstrum foret homo adeo incurvus, ut, pecudis instar, capite in terram verso ambularet? Talis est Christianus, in terrena bona conversus, et a cælestibus alienus. Ejus typus erat mulier illa, Luc. XIII. ita inclinata: « Ut omnino sursum aspicere non posset. » De qua S. Gregorius, hom. XXXI. in evang. « Recta, ait, stat anima, cum superna desiderat, et nequaquam flectitur ad ima. Sed maligni spiritus, cum hanc in sua rectitudine stare conspiciunt, per eam transire non possunt. Transire namque eorum est, immunda illa desideria spargere. Dicunt ergo (Isa. LI. Dixerunt animæ tuæ: Incurvare, ut transeamus, et posuisti ut terram corpus tuum, et quasi viam transeuntibus.) Incurvare, ut transeamus, etc. » Et mox: « Nos ergo viam malignis in nobis spiritibus damus, cum terrena concupiscimus, cum ad temporalia appetenda curvamus. Pudeat ergo terrena concupiscere, et dorsa mentium ascendentes adversariis præbere. » Sic Gregorius. Ex quo docemur Christianum ad terram propensum, jumentum esse dæmonis, non Christi. Ligna curva molem non ferunt sibi impositam, sed citius franguntur: recta ferunt et magis solidantur. Christianus etiam ad terram curvatus, perditioni proximus, tandem corruet: stabit vicissim, qui Christum quærit et cælum, Christianus sola fide stans, et charitate non suffultus, dimidius homo et monstrum est: qui fidem et charitatem possidet, perfectus homo est.

VII. Homo crudelis, teipsum contemplare: *Cujus est hæc imago*? Hominis an leonis, aut alterius similis feræ? Homo animal mansuetum, sociale et amicabile ex natura sua est: quid igitur est homo durus, immisericors, crudelis, nisi efferata bestia? Lupus, leo, ursus? Hujusmodi unum aspice: Otho Antonius, Montis Ferrarii comes atque Urbinatium princeps, puerum, quem in cubilis ministerio habebat, resinato linteo, atque sulphure perfuso involutum, vivum in candelæ morem combussit; quod

hora, quam ei præfixerat, se non excitasset, auct. Fulgos. l. IX. c. II. Itane hominem hunc dicemus, et non tigridem potius aut dæmonem? Displicet etiam Deo, nec videtur carere culpa veniali ea in homine crudelitas, quam exerit in brutis, uti refert noster p. Lessius, apud p. Tannerum, II. II. disput. de justit. q. VIII. dub. III. qui et hoc crudelitatis exemplum refert ibi: « A prudentibus et expertis audivi, Deum subinde talia crudelitatis genera gravibus poenæ in hac vita vindicare, ut cum patrum memoria quodam loco ex sola petulantia ab incondita plebe bos vivus excoriatus fuit, qui deinde per totum oppidum libere discurrere permissus fuit, sensim enim deinceps felicitas et florentissimas oppidi status degenerare, variisque miseris affligi cœpit. » Quid igitur erit sævitia non humana, sed ferina, in hominem ab homine effusa? Quam poenam non merebitur? Poenam crudelitatis in Tusciæ comite, Hildebrando, tametsi (ut videtur) expiato, adeoque in purgatorio solum detento, visam a Rainerio describit B. Petrus Damiani, epist. VII. lib. IV. ep. Positus enim in tetro, piceo et sulphureo flumine, dixit ad presbyterum: « Ego sum infelicissimus ille comes Hildebrandus, cui poenitentiam licet infructuosam imponere consueveras. Cui presbyter ait: Et quomodo tu comes Hildebrandus es, cum sis tam obesi et mutilati corporis, ut non humanam speciem, sed taxi potius videaris habere effigiem? Cui comes: Tot, inquit, suppliciis atteror, tot novis et exquisitis quotidie poenis affligor, ut non mirum sit, quod corporis mei forma depereat, sed quod aliquatenus vel essentia ipsa subsistat. Tantæ scilicet crudelitatis fui dum in corpore vixi, ut nunc sanctis omnibus odio habear, et ita me justa eorum severitas unanimiter despicit, quod nullus illorum adhuc pro me apud divinam clementiam intercessit. » Nimirum quia non humanam, sed ferinam potius sævitiam et taxi mordacitatem, vivens præ se tulit; hinc talem quoque speciem mortuus expressit.